# ORATIO
## IN COMITIIS PROVINCIALIBUS

ALMAE OBSERVANTIS

S. P. N. FRANCISCI PROVINCIAE ROMANAE

DIE 8. MARTII ANNI 1800.

In Conventu B. V. Mariae Paradisi extra
Viterbii maenia celebratis,

HABITA

A R. A. P. F. JOSEPHO ALBEROLA

Sac. Theol. Lectore, Provinciae Valentiae Aedetanorum Patre, Excommissario Generali Curiae Romanae, pro tota Ditione Pontificia Commissario Gen. Terrae Sanctae, & Capituli Praeside.

DUM OFFICII SIGILLA TRADERET

A. R. P. FR. BERNARDINO A LUCA

Philosophiae & Theologiae Lectori, Exdiffinitori, Albaniae Exministro,

ET IN PROVINCIALEM ELECTO.

ROMAE MDCCC.

Ex Typographia Aloysii Perego Salvioni

*Superiorum facultate.*

Reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.

*Ad Rom. cap.* 12. *v.* 2.

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

# NICOLAO BUSCHI

EPHESI ARCHIEPISCOPO,

Et Congregationis Disciplinæ
Regularis a Secretis.

Singularis benevolentia, Praesul Illustrissime, cujus tam multas, atque magnas significationes Ordini nostro edidisti, absque cunctatione ulla me coegit, ut hanc Orationem tibi offerrem, atque dicarem. Mihi etenim in

Conventu Virginis Mariae Paradisi extra Viterbii maenia Praesidis Capitularis almae Observantis Provinciae Romanae munere fungenti literas mittere dignatus es, amoris, & prudentiae notis insignes; quibus illud cum primis suadebas, ut si quid, attenta horum temporum acerbitate, reformatione dignum invenirem, ex legum nostrarum praescripto reformarem; praesertim vero ut Praelati locales omnium Fratrum subvenirent necessitatibus. Literae, enim, tuae coram toto Capitulo fuerunt lectae, plaudentibus cunctis, gratesque tibi peragentibus summas, eo quod ipsam Provinciam Romanam caritativè admonere non spernabaris: ut si aliquid

esset infirmum, curaret, si confractum, consolidaret. Quod a me, prout Capituli Provincialis negocia, & temporis angustiae ferebant, exaratum, atque stabilitum, hoc modo fuit.

Nihil novi inducendum sum arbitratus, sed revocanda ea tantummodo, quæ a majoribus nostris pro strictiori Disciplinae Regularis observantia sancita jam fuerant. In primis enim Francisci Patris inhaerens vestigiis, qui in secundo Capitulo generali Ordinis Assisii anno 1219 coacto, hanc primam statuit Legem: *Ut quolibet Sabbato fierent sacra in Immaculatae Virginis Mariae honorem*, decernendum curavi, ut in omnibus hujus Provinciae Domibus solemne

Sacrum fiat cum cantu de *Conceptione* singulis cujusque Hebdomadae Sabbatis, dummodo per Missalis Rubricas non obstet. Si vero ob Fratrum paucitatem cantari non possit, omnibus injungitur Superioribus, & Guardianis, ut privatum, sive lectum celebretur, ad impetrandum, scilicet, Immaculatae Virginis patrocinium in hujusce Sanctae Matris Ecclesiae, & Ordinis nostri calamitatibus.

Omnis mea cura eò spectavit, ut quaecumque Disciplinae Regularis relaxatio penitus eliminaretur, si fortè ob praesentium temporum luctuosas vicissitudines irrepsisset. Superioribus, & Guardianis enixè mandavi, ut curarent, quod Re-

ligiosi omnes Choro intersint, orationem mentalem diebus singulis ne omittant, & disciplina singulis secundis, quartis, & sextis feriis cujuslibet Hebdomadae peragatur; neque sit in arbitrio Guardianorum in eo, prout libuerit, dispensare, nisi juxta Ordinis Statuta. Fratres e Domo egredi sine Superiorum expressa licentia, ipsisque pariter in regressu debeant se sistere ad petendam benedictionem sub poena in Constitutionibus lata. Religiosos vero solos per Oppida, perque Urbes vagari, indecorum Religioni, ipsisque Fratribus cum sit, omnibus injunctum est, ut è Conventibus semper cum socio exeant, nisi si aliquam eant Ec-

clesiam, ad Missam celebrandam. Qua peracta ad suum reverti debeant Caenobium, ut Missae Conventuali, & Choro non desint. Praelatus localis poterit dispensare, ut Frater solus Domo exeat pietatis caussa, ut si adesse infirmis opus sit, vel eorum confessiones audire.

Ut altissimae Paupertati, quam Domino promisimus, ut par est, consulatur: sancitum est, ut omnes eleemosinae pecuniariae, sive sint fructus lecturae publicae, sive praedicationis Quadragesimae, Adventus, vel alio quocumque titulo oblatae, Syndico Apostolico tradantur, injunctumque Superioribus localibus, ut ex iisdem aeleemosinis Lectorum, praeser-

tim, & Praedicatorum necessitatibus succurratur. Pari quoque modo provisum est supra aliorum Fratrum inopia, indicans succurrendi modum, nostro statui omnino conformem, quin Religiosus Sanctae Regulae fractor dicatur: ipsosque admonere non omisi verbis Sancti Bonaventurae: *Ut discant modicis esse contenti* (1). Ne fortè tenentes aratrum Professionis Religiosae, retro respiciant vana seducti confidentia, & apti non sint Regno Dei. Quia non est pauper Religiosus ille, qui paupertatis non sentit incommoda. Quietissimam vitam agerent omnes Fratres, si haec duo

(1) S. Bonav. Epist. Min. & Cust. Ord. Min. Dat. Parisiis an. 1257. Chronol. Seraph. Tom. I.

pronomina *meum* , & *tuum* , ab universis Ordinibus Religiosis tollerentur . Nec valet illa frivola excusatio : *Mecum est dispensatum per Praelatum meum* : Nam Innocentius III. *in Decretali : Cum ad Monasterium dicit : Quod nec Summus Pontifex cum Monacho cujuscumque Ordinis professo super habenda proprietate , nec super obedientia , aut castitate dispensare valet* (2) . Haec sunt Ordinis Statuta , Constitutiones Pontificiae , & Regula nostra . Praeclare in hanc rem Vir quidam Sanctus ajebat : *Nullum esse Religiosum in Coelis , qui non fuerit martyr in terris : vita quippe Reli-*

(2) Epist. cujusdam Mag. Parisiensis ad quemd. Canon. Regul. de vitio proprietatis . apud Martene Thesaurus nov. Anec. To.I. Col. 1738.

*giosi ad praescriptum suae Regulae stricte viventis incruentum martyrium est* (3).

Ad accuratiorem tandem Juvenum instructionem, majoremque Confessariorum, & Praedicatorum copiam in nostris Ecclesiis, statutum est, ut omnes Sacrae Theologiae Auditores, cursu confecto, per annum cum dimidio Theologiae Morali vacent, & Rhetoricae praecepta addiscant. Quo tempore expleto, praeviis Provinciae examine, & adprobatione, Curiae Ecclesiasticae sistantur ad periculum doctrinae faciendum, & facultatem confessiones audiendi, & verbum Dei prae-

(3) Card. Bona Principia Vitae Christianae §. XL. pag. 245.

dicandi [obtinendam], secundum Ordinarii prudens judicium. Quo fiet, ut nostri Juvenes futuri sint Religioni, Conventibus, Populis, & Ecclesiae Sanctae Dei utiles.

Nolo caetera commemorare, Praesul Illustrissime, longum, enim, foret, Tibique molestum, recensere omnia, quae disposita, statuta, seu potius renovata sunt, ut Disciplina Regularis sarta tecta servetur; etsi haec res animo meo non parum laboris, atque molestiae attulerit. Quoniam vero quatuor tantum dierum spatium mihi datum fuerat, & negotium perarduum, perque difficile tractabatur; ne quid festinantius Reverendissimum Definitorium de Ordinationibus a me exaratis sanciret, moderno Provin-

ciali illas tradidi, ut quas Viterbii scripseram, Patres Romae congregati accuratius expenderent, ac perpolirent, augerent, vel minuerent, tum omnibus Provinciae Conventibus notas facerent.

Hujusce argumenti rem Tibi nuncupare, Praesul Illustrissime, tuum Tibi reddere est, non alienum dare: ut obedientiae, & facti mei ratio constaret Tibi, qui universam Disciplinam Regularem tanto zelo promoves, atque restauras. Appositè nolui, Praesul Vigilantissime, vitae tuae gradus, & dignitates perquirere, ne forte verborum lenociniis tuam offenderem modestiam. Tuum decus est constantia, qua tantum divinae gloriae, & Religiosae Per-

fectionis zelum prae Te fers. Gloria tua elegantia morum in Principe Ecclesiastico omni laude major. Corona tua comitas illa affabilitatis, & majestatis plena, qua vultu, verbis, & factis omnium animos ad Te rapis. Vive, igitur, Praesul Illustrissime, & grato accipe animo Orationis, & laboris mei munusculum in gratitudinem benevolentiae tuae versus hanc Observantem Provinciam Romanam. Ita vovet, dicat, consecrat

Illustrissimae Tuae Rever.

Addictissimus & obsequentissimus
Fr. Josephus Alberòla

# JUDICIUM

## R. A. P. FLAMINII A LATERA

Lectoris Jubilati, Almae Obs. S. P. Francisci Provincie Romanae Exprovincialis, Exdefinitoris Generalis Ordinis, et publici Scriptoris.

*Cum Orationem à R. Admod. Patre Josepho Alberòla, Excommissario Generali Curiae Romanae, ac Terrae Sanctae Commissario, concinnè elaboratam, et latino idiomate egregiè conscriptam, attentè, jucundeque perlegerim; moxque in Ecclesia Conventus S. Mariae Paradisi Viterbii, coram universis Patribus, ibidem pro Capitulo Romanae Provinciae, sub ejus Praesidentia celebrando, congregatis, eamdem ab ipsomet memoriter prolatam, summa animi voluptate audierim; nedum ejus elegantia, et fluiditate illectus, sed etiam varias, et miras, quibus redundat, admiratus sententias, tum ex Divinae Scripturae, cum ex Ecclesiae, et Ordinis Legum aureo thesauro, et purissimo fonte haustas, atque depromptas, illicò in animum induxi, ac vehementer optavi, ut ea publicis typis utilis legentibus redderetur. Et chartae licet man-*

*data , illum sit amissura spiritum , quem veluti animam zelus Oratoris ei communicabat , ac proinde illis nequeat legentium corda percellere jaculis , quibus ex ore ipsius , audientium aures , et intima feriebat , haud nihilominus dubito , quin eisdem praedita originariae structurae , sive compaginis ornamentis , et viribus , atque primigeniam idcirco retinens venustatem , et robur nativum , praeconceptos valeat exoptatos producere effectus , tam Superiores , videlicet , quam Subditos ad proprii Officii praxim , et Observantiam excitare , et impellere ; ac idcirco firma spe et desiderio impulsus , rectum , dignumque existimavi , ut ipsa Oratio Typographi alicujus praelo in lucem prodiret .*

*Dat. in Conventu S. Mariae Paradisi Viterbii die* 10. *Martii* 1800.

*Fr. Flaminius à Latera .*

# ORATIO.

Spiritus Sanctus, qui ubi vult spirat, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suam Te in hujus Almae Observantis S. P. Francisci Provinciae Romanae Ministrum Provincialem elegit. Hodierna die Tibi facta est potestas dicendi huic: vade, & vadit, et alii, veni, et venit, et illi fac hoc, et facit. De electione tua exultat spiritus meus, gratias referens illi, qui superbos humiliat, et exaltat humiles. Non enim de illorum sorte Te esse arbitramur, qui honoribus quidem proficiunt, sed moribus cadunt: qui praeesse magis cupiunt, quam prodesse: qui seipsos pascunt, non Oves sibi concreditas: qui, quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi: qui, veniente lupo, Gregem non defendunt, sed maxima cum ignominia fugiunt. Sed de illo numero Te fore esse confidimus, quos zelus Domus Dei comedit: qui disciplinam monasticam promovent, restaurant, observant: qui Choro assiduè intersunt: qui tandem orationi, caeterisque obser-

vantiis regularibus, quae Statuta nostra praescribunt, nunquam desunt.

II. Cum haec ita sint: grave quidem, et formidandum onus humeris tuis impositum est in hac temporum acerbitate, qua inanis, audax, et effraenata Philosophia multorum hominum mentes excaecat, mores corrumpit, Oppida Urbesque obsidet, incendit Ecclesias, Provincias depraedatur, exercet judicia, tributa exigit, Imperia à fundamentis evertit, Reges diademate spoliat, simulque in exilium pellit, è medio plane tollit. Tandem cum omnium proborum planctu sanctae memoriae Immortalem Pium VI. Pontificem Maximum, quem semper Martyrem dicemus, et praedicabimus, callidè, fraudulenter, coactè a propria Sede, a Petri Cathedra, ab ipsa Roma, principe provinciarum facta jam sub plurium millionum scutatorum tributo avellit, extorquet, aufert (*). Perennes, igitur, peragamus gratias, Omnipotenti Deo, qui tam pestilentem doctrinam, Sacerdotium, Sacrificium, Sacramenta, Indulgentias, Purgatorium, Infernum, Caelum, ipsumque Christum negantem, non permisit claustra nostra pervadere, nec Fratres nostros omni vento doctrinae circumferri, et coinquinari; imo *semper subditos, & subjectos*

(*) Legatur prima Nota ad calcem posita.

*pedibus Sanctae Romanae Ecclesiae* permansisse, *& stabiles in Fide Catholica*, sicut Seraphicus Patriarcha nobis imponit (1).

III. Iis positis: in praesentiarum enim cum fletu et dolore cogimur dicere Sanctae Provinciae Observanti Romanae hìc capitulariter congregatae: *Filios enutristi, & exaltasti*: ipsi *autem spreverunt te*: desolatione insolita suae matris solium in solitudinem redigentes. Quos doctrinae uberibus, observantia regulari, dignitatum gradibus confovisti, locupletasti, sublimasti: Ipsi facti sunt tibi in ruinam. Proh pudor! vulpes foveas, volucres caeli nidos, ferae sua cubilia, qua possunt diligentia, tuentur, excolunt, inhabitant. Et Filii tui?... Filii tui?... Nolumus enim in vestram revocare memoriam quae gementes audistis, quae flentes inspexistis in excidio Aracaelitano, quorum et Nos et si maerentes oculati testes sumus. Ruit Jerusalem, et Judas concidit: corruerunt muri cum moribus; sed morum dolenda est magis ruina, quam murorum. Parum esset, R.R. A. P. P. in totius Italiae deturbatione aliqua hujus almae Provinciae Caenobia perdidisse, dummodo morum jactura non fuisset consecuta. *Sed obscuratum est aurum*,

(1) Reg. Frat. Min. cap. 12.

*mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum* (3).

IV. Hisce adversis fluctibus concussi, et procellis undique jactati, prae periculi magnitudine Salvatorem nostrum quasi dormientem suscitavimus, clamantes cum beatis Apostolis: *Domine, salva nos, perimus*: impera, et fac, Deus, tranquillitatem (4). Clamor noster introivit in aures ejus, qui salvat spiritus à tempestate, qui statuit procellam in auram, et deduxit nos in portum, quem optabamus. Nam persecutionem patientes, et sustinentes, reportavimus *salutem ex inimicis nostris*; et Conventus Aracaelitani claves recepimus *de manu illorum, qui oderunt nos* (*). Quia ipse misericordiarum Pater clementi nos oculo respiciens, ante faciem nostram omnia complanavit.

V. Tu, igitur, qui libenter suffers insipientes, cum sis ipse sapiens, sustine hìc modicum quid insipientiae meae, praesertim cum non docentis, sed monentis tantum personam geramus. Posuerunt Te custodem in vineis, ut diligenter observes, ne quid noceat, quid prodesse valeat; ut capias vulpes parvulas, quae demoliuntur

(3) Thren. cap. 4. v. 1.
(4) Matth. 8. 25.
(*) Videatur secunda nota.

eas. Officii tui est sarmenta inutilia praecidere, ut ea, quae praevalent, uberiores tempore suo ferant fructus. Sub te cultore sterilis ficus refloreat, et in gratiam cum suo Domino redeat, cujus securim formidat.

VI. Illi, scilicet, Religiosi viri, qui injuria temporum a disciplina regulari aliquantulum declinarunt, inveniant Te semper pium, comitem, prudentem, ut Christo lucrifacias, et in bonam reducas frugem. Offerens tamquam Job sacrificium pro filiorum negligentia, et velut alter Noe praeparans arcam bitumine litam his, quibus naufragium imminet. Quia abusus, ubi sint, paulatim sunt eliminandi, *ne majora damna sequantur*. Interim: *reformatio est quaedam spiritualis resurrectio, quae non fit ictu oculi, neque in novissima tuba, sed paulatim, paulatim* (5).

VII. Etsi haec meridiana luce clariora sint: novit prudentia tua, quod Heli propter filiorum iniquitatem damnatur. Sciebat, enim indignè agere filios suos, et non corripuit illos. Quod ne forte (Deus longè avertat) Tibi contingat, audi Apostolum ad Titum: *Haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio* (6).

(5) Sententia cujusdam Rmi P. Procur. Gen. Ord. Cisterciensis. (6) Ad Tit. 2. cap. 15.

Sic tibi agendum est circa inobedientes, discolos, et incorrigibiles, haudquamquam eorum odium timens incurrere, ne dicaris canis mutus non valens latrare. *Quia offendere hominem propter Deum, lucrari est gratiam Dei*, ut quidam Sapiens ait (7). Et ut alter cecinit.

*Est pietas punire scelus, scelus est sceleratis*
*Parcere; nil pietas haec pietatis habet* (8).

VIII. Multa ad tuam consolationem dicere, dulce Nobis esset; sed nolumus tot tantorumque Patrum abuti patientia. A primaevo juventutis flore meruisti habitare, nutriri, conversare, erudiri in dilectae matris tuae sinu: ubi et audisti, et vidisti, et experientiae magisterio didicisti quomodo Te oporteat agere una cum R. R. A. P. P. hujus Sanctae Provinciae Reverendissimum Definitorium constituentibus: quibus omnibus, tamquam instrumento, utitur Deus ad opus bonum, ad opus sanctum, ad hujus Provinciae reformationem.

IX. Ob hujusce temporum sat notas calamitates, propter tot Fratrum coactam dispersionem, et quia humanae naturae infirmitas eundem semper rigorem servari

(7) Martene: Thesaurus novus Anecd. Tom. I. Epist. 4. Gaufredi ad Joan. Ab. col. 498.
(8) Idem.

non patitur ; in apertò est à primaeva puritate , et fervore nos deflexisse , quod Nos maxime angit . Quia multi in Ordine viventes nec perpendunt , nec investigant , quae sit status Religiosi sublimitas . Hinc paulatim provenit propriae vocationis oblivio , omissio orationis , disciplinae regularis relaxatio . Fratrum vero errantium infinitus est numerus ; unde licitum aliquo modo fit , quod plerique faciunt . Inertium autem turba prae multitudine numerari non valet , qui totius anni decursu nil operantur , quod unius diei pietansia , quam dicimus , dignum sit . *Nam quam plurimi otiosi mostruosum statum inter contemplativam , et activam vitam erigentes , carnaliter , et crudeliter comedunt sanguinem animarum* (9) .

X. Vestes ergo saeculares exuere , R. R. A. P. P. et religiosas vestire , *ut Fratres dicamur, et nuncupemur* , dimidiae horae negotium est : sed induere Dominum nostrum Jesum Christum , Francisci Patris , et Sanctorum filiorum ejus gesta , virtutesque sectari , *ut veri Religiosi Minores Observantes nominemur , et simus* , toto vitae nostrœ tempore est opus . Etenim post tot annos in Religione exactos , si , quod res

(9) S. Bonav. Epist. citata .

est, dicere volumus: Quoties affectu recurrimus ad mundi oblectamenta? Quoties praecepta Dei negligimus? Quoties transgressores nostrae Regulae efficimur? Quoties divinis Officiis somnolenti, et tepidi assistimus? Quoties ad obedientiam segnes, et tardi sumus? Quoties denique Fratrum infirmorum, et hospitum curam contemnimus?

XI. Certi, enim, sumus Jansenismum, Philosophismum, ut ajunt, et illam hujus tenebrosi labentis saeculi decimi octavi libertatem opinandi, et scribendi, hujus Provinciae claustra non penetrasse. Sicque zelus vester in eo erit totus intentus, ut unusquisque suos corrigat mores, et vitam agat nostrae sanctae Regulae et Constitutionibus Ordinis omnino conformem. Voti compotes effecti eritis, eligendo in Guardianos, Vicarios, et reliquos omnium Conventuum Officiales, Religiosos laudabili et sancta conversatione praeditos, doctos, benevolos, humiles, comites erga Subditos, nostrae paupertatis acerrimos defensores, choro semper assistentes, orationem numquam dispensantes. Illi, vero, qui sunt suapte ingenio procaces, detractores, inobedientes, omni administrationi omnino impares, et omni Provinciae dignitate indigni, non debent in Superio-

res eligi locales. Quia post indoctos malosque Guardianos nulla pestis ad noscendum Fratribus, et discliplinam regularem relaxandum potentior in Ordine depraehenditur. Qui cum subditos aedificare debeant, his potius corruptionis exempla exhibent. Pari zelo debetis super omnia Religiosis adolescentibus operam studiumque conferre, qui possunt utique vitam corrigere, mores ad normam componere, actus quoque suos in omnibus perficere, esse dilecti Deo, et hominibus, et in tempore opportuno Provinciae utiles.

XII. Si quis Fratrum, quod Deus avertat, vestris obedire praeceptis detrectaverit, in promptu, et in omni eventu erit pientissimus, et zelantissimus Dominus Dominus Romualdus Cardinalis Braschius de Onestis, à bonae memoriae Pio VI. Pontifice Maximo, ejus Avunculo Ordini nostro in Protectorem datus: qui haereditaria charitate tanti Pontificis imitatione, et exemplo nos diligit, tuetur, defendit; suaque auctoritate, et prudentia disponet, ut ad viam justitiae inobedientes redeant. Turbulenta ista tempora privarunt nos dulci illius praesentia, cujus recreabamur affatu, et aspectu delectabamur. Sed Dominus dabit vices recompensationis optatae, ut quod nunc ex tanti Correctoris absentia

amisimus, diuturnae praesentiae fenore compensabimus. Totus Seraphicus Ordo umbrae alarum Eminentissimi Protectoris nostri innititur. Provinciam vero Observantem Romanam faelicem semper et beatam inter omnes dicemus, quippè quod ipsa sub umbra illius, quem desiderat prospicere, requiescit. Vobis non erit opus longo prooemio, multisque verborum lenociniis ad impetrandum ab Eminentissimo Viro quod justè exposcetis; maximè ubi commune Provinciae bonum, decus, et gloria in causa esse cognoscantur.

XIII. Bonum erit, R. R. A. PP. Conventuum parietes erigere, muros, et tecta innovare, Ecclesiasque nostras reparare: quia *Domum Dei decet sanctitudo* (10). Sed rectius, consultius, et Deo placentius erit ex vivis, et electis lapidibus, templa viva Domino construere: formando, scilicet, Religiosos, Paupertatis sanctissimae sectatores, caeterisque monasticis pollentes virtutibus. Qui ita cum hominibus hujus saeculi se gerere oportunum erit; ut ab eorum colloquio, et consortio revertantur percutientes pectora sua, et dicentes: *Vere Filii Dei sunt isti* (11). Sicque *reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis*,

(10) Psal. 92. 5. (11) Card. Bona. Principia Vitae Christianae §. XL. pag. 244.

*quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* (12). Excitetur cordis vestri pietas, et fervor ad Caelum: ut Vobis praeeuntibus, omnes Fratres ad orationis spiritum, et Regulae Observantiam accendantur. Hoc sanctum opus sit labor vester; ne fortè corripiamini ab hominibus hujus saeculi in ignominiam, et opprobium vestrum, ut monet Seraphicus Patriarcha.

XIV. Unde exorta est, eò revertatur Oratio: speramus fore, Deo favente, R. A. P. Provincialis, ut zelus Provinciae Tibi concreditae comedat salubriter animam tuam, quod sub tuo regimine omnes Fratres Tibi commissi divini spirent suavitatem odoris, fructus faciant honoris, et honestatis, et tuo confecto triennio dicere valeant cum Regio Propheta: *Haec mutatio dexterae excelsi* (13). *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (14).

XV. Grates, igitur, peragamus maximas Domino nostro Jesu Christo, Immaculatae Virgini Mariae, et Seraphico Patriarchae N. Francisco, qui inspiraverunt Vos omnes in hunc convenire. Gaudemus, et congratulamur huic almae Provinciae de electione pacificè, sancteque peracta.

(12) Ad Rom. cap. 12. v. 2.
(13) Psal: 67. v. 11. (14) Psal. 117. v. 23.

Praecantes denique VV. PP. A. RR. ut hunc a Vobis in Ministrum Provincialem inauguratum, tanquam Patrem recipiatis, devotam in omnibus sicut ipsi Christo exhibentes obedientiam, nostrisque defectibus benignam veniam indulgentes. Dixi

## NOTA PRIMA.

SAnctissimus Dominus Noster Pius VI. Pontifex Maximus coactè avulsus a Palatio Vaticano die 20. Februarii anno 1798. Viterbium ductus, Sanctae Rosae Corpus invisit, ejusque manus devotissimè deosculatus, maestis Monialibus die 22. Apostolicam benedictionem peramanter impertivit. Suum peragens iter, Senas pervenit die 26. in Patrum Augustinianorum Conventu magna cum reverentia acceptus, ibique per tres menses habitavit usque ad 26. Maji diem. Terræmotus causa die 30. comitatu suo Florentiam adivit, & Monachorum Carthusianorum Monasterium ingressus, decem mensibus ibi commoratus est, quem Eminentissimi Viri Cardinales Zelada, & Lorenzana Archiepiscopus Toletanus, & quamplurimi Magnates saepius inviserunt.

Sed cum Gallorum Exercitus die 26. Martii 1799. Florentiam potitus fuisset: Immortalis Pius VI. admiranda animi firmitate viam arripiens, Carthusianos dolentes relinquit, & die 30. Bononiam adivit. Per Mutinam transiens, primo Aprilis Parmam pervenit, & in Benedictinorum S. Joannis Monasterio per dies tredecim moratus est; ita quod ab omnibus crederetur suae Apostolicae peregrinationis finem ibi esse constitutum. Divinae semper voluntati Pius VI. obediens, iterum coactus viam arripere, Placentiam, S. Joannis Castrum, Dertonam, Alexandriam Statelliorum, Monferratum, Crescentinum, & Augustam Taurinorum perveniens, ab omnibus Populis tamquam Christi Vicarius honoratus, die 26. Segusium appulit, ibidemque in Episcopio die sequenti permansit. Per ardua montium nive obsita sella gestatoria Augustus obses delatus, ultimo Aprilis Brigantium appulsus, ubi quievit usque ad diem

25. Junii . Quamvis adversa valetudine affectus , iter aggredi impulsus, Grationopolim die 6. Julii ingressus est . Tandem Valentiam ad Rhodanum adivit die 14. ejusdem mensis, & in Arce constitutus fuit.

Die vero 19. Augusti quadam dissenteria correptus , à Medicis conclamatus , Sacramentis Ecclesiae devotissimè susceptis , spiritum Deo reddidit Pontifex Maximus Pius VI. die 29. Augusti 1799. hora prima cum dimidia post mediam noctem , aetatis suae annorum 81. mensibus octo, diebus duobus; Pontificatus vero annorum 24. mensibus sex , diebus quatuordecim . Absens ab Urbe anno primo , mensibus quinque, diebus novem . Sacrum Cadaver paramentis postea indutum Pontificalibus , duabus occlusum arcis sigillo munitis : parentalibus pro ejus anima a familia exhibitis, in ejusdem Arcis loco subterraneo tamquam in custodiam collocatum fuit . Donec , auspice Deo , apud S. Petrum sepeliri videamus , sicut ipse Pius VI. in suo disposuit Codicillo . Nunc verè Maximus , & Immortalis , qui piè creditur in SS. Martyrum consortio in Caelis coronatus .

In tanti Pontificis memoriam operae praetium duxi Lectoribus exhibere sequens Epitaphium a Josepho Marotto Secret. Sanctissimi in Arca mortalitatis ejus inscriptum .

HIC . SITUS . EST

PIVS . VI.

PONTIFEX . MAXIMUS

OLIM

JOANNES . ANGELUS

BRASCHIUS . CAESENAS

QUI . DIUTURNITATE . PONTIFICATUS

CAETEROS . OMNES . PONTIFICES . PRAETERGRESSUS

ECCLESIAM . REXIT

ANNOS . XXIV. MENSES . VI. DIES . XIV.

DECESSIT . SANCTISSIME . VALENTIAE

DIE . XXIX. AUGUSTI . ANNO . MDCCXCIX.

IN . ARCE

IN . QUA . OBSES . GALLORUM . CUSTODIEBATUR

DUM . ANNOS . AGERET . LXXXI.

MENSES . VIII. DIES . II.

VIR . ADMIRANDA . ANIMI . FIRMITATE

IN . LABORIBUS . MAXIMIS . PERFERENDIS

CONSTANTIA

## NOTA SECUNDA.

Innocentius IV. Pont. Max. die 18. Novemb. 1251. Conventum S.Mariae de Capitolio, nunc de Aracaeli, Fratribus Minoribus S. P. Francisci speciali gratia indulsit, qui quidem ab eodem anno illum possederunt. Aucta fidelium pietate, & fervore, hisce ultimis temporibus ducentum et amplius Fratres in hac Sancta Domo degebant. Erat, scilicet, Ordinis Seraphici Caput, ordinaria sedes Rmi P. Ministri Generalis, vel Rmi P. Commissarii Generalis hujus Familiae Cismontanae, Procuratoris Generalis Ordinis, Commissarii Curiae Romanae, et Terrae Sanctae cum respectivè Secretariis; nec non Provincialis hujus Provinciae Observantis Romanae.

Cum Gallorum Exercitus die undecima Februarii anni 1798. Urbem potitus fuisset, post meridiem octingenti milites in hoc castrametati fuerunt Conventu: die vero ejusdem mensis decima tertia eorum numerus usque ad duo mile & quingentos adauctus fuit; relicto Valetudinario pro Fratribus infirmis, & aliis Ecclesiae inservientibus, quorum numerus ad sexaginta tantum ascendebat Fratres. Religiosi exteri invitabantur ab Urbe, & Statu egredi; sed revera cogebantur quodam epistolio ad ipsos misso; ita quod uno die triginta sex ab Aracaeli fuerunt ejecti. Persecutionis tempore durante jam viginti, jam quindecim, jam denique decem extra Romam coactè mittebantur. Post duos menses, egressis è Conventu militibus Gallis, altera Polonorum militum Legio, quae termile homines numerabat, in eodem suam stabilivit stationem.

Die decima octava Julii anni 1798. exiit Mandatum centum octuaginta septem Monasteria, Caenobia, & Hospitia supprimens, quorum infausto numero Domus haec erat adscripta. Vigesima enim die Araecaeli suppressio Fratribus notificata fuit à quodam hujus temporis incredulo, qui à Sacrario spolium incipiens, summa qua furebat audacia, audacter arripuit Calices quatuordecim, totidem Patenas, Ostensoria, Thuribulos, omnia paramenta sacra, amictus, albas, linteamina, Relicaria, Cruces, Candelabra, Missalia, sedes, scabella et armaria; Raphaelis Urbinatis & Guercini picturas omnes. Ut paucis dicam, omnia abstulit. Mirificam Pueri Jesu de Aracae-

li Imaginem variis multisque gemmis praetiosis ornatam, & circumvestitam, pannis tantum involutam reliquit, & SS. Martyrum Cosmae & Damiani Monialibus in custodiam tradidit; vendito quoque magnifico Praesepio. Corpus S. Bartholomei Apostoli ad S. Mariam Transtyberim fuit translatum.

Pari modo in Ecclesia se gessit: cancellos omnes, picturas, vota argentea, lampades, candelabra magna. Stationes Viae Crucis, Confessionalia, subsellia, organa duo, Sanctorum vexilla ad laquearia adpensa, fenestras vitreas, horologii machinam, quamplures Altarium collumnas, avulsit & secum portavit. Libri Chori fuerunt venditi, & tintinabula conquassata. Capellam Sanctam solo aequavit, porfidi urnam destruens, & Sanctae Helenae Imperatricis corpus in ea contentum ad S. Joannem in Laterano translatum fuit. Nec mortuis quidem pepercit, eorum sepulcra funditus evertens, & arcas plumbeas furatus est. Nihil intactum reliquit, nisi Aram maximam, sed spoliavit quoque Virginem Mariam de Aracaeli, a Sancto Luca, ut traditur, depictam. Admirabili quadam providentia Altare S. P. Francisci permansit illaesum, & pulpitum a quodam benefactore emptum, & suo conservatum loco.

Quis, igitur, accurate scribere poterit Conventus depraedationem? Aromataria, furnus, refectorium, coquina, triclinium, horreum, valetudinarium, lanificium, Bibliotheca publica, quae erat Urbis tertia, cancelli, portae, fenestrae vitreae, omnia haec fuerunt penitus eversa, ablata, & vendita; praeter aliquam librorum copiam, quae apud S. Petrum custoditur. Aquaeductus, & canales omnes diruti, & venditi: hortus eandem obtinuit sortem, porticus sine cancellis omnibus patet. Tandem ubi aliquod ferri, aeris, cupri, & stamni frustulum parietibus afflixum erat in quolibet Conventus angulo, ibi conspicitur ruina. Sicque nihil permansit in Aracaeli praeter muros, tecta fere destructa, portas Ecclesiae, & Conventus, cum altera quae in Bibliotheca invenitur.

Dum haec omnia devastarentur; quamplurimi Religiosi tot Fratrum infirmorum vicem dolentes, istorum solatium afflicti quaerebant, enixe & humiliter precantes omnes illos, qui tot miseris auxilium ferre poterant. Gratia pro permanentia Fratrum infirmorum in Valetudi-

nario usque ad diem quartam Octobris Seraphico Patriarchae sacram abs dubio die 26. Julii concessa fuit, sed omni caruit effectu. Quapropter prima Augusti omnes infirmi ad S. Francisci ad Ripam, & S. Bonaventurae Conventus delati fuerunt, & proportionaliter divisi. Reliqui Fratres post quingentos & quadraginta septem annos pacificae possessionis cum lacrimis ab Aracaeli fuerunt ejecti die quarta Augusti anni 1798., & in S. Francisci ad Ripam tyberis, SS. Quadraginta Martyrum, & S. Bonaventurae Conventibus à suis Confratribus quamplurimi charitative admissi, aliqui Confessariis Monialium SS. Cosmae & Damiani, S. Laurentii in Pane & Perna, & Sanctae Margaritae agregati fuerunt, reliqui vero in diversas Italiae partes dispersi, vel in parentum domos redierunt.

Post varios supplices libellos, & humiles recursus die decima tertia Julii anni 1799. Conventus Aracaelitani Patres claves acceperunt de manibus illorum, qui Domum hanc spoliaverunt, destruxerunt, & labefactarunt. Quamvis dictu, scriptu, & creditu difficilis sit hujus Conventus ruina: aliquid tantum retuli, ut mirentur posteri, & legant amaros fructus Philosophiae tenebrosi labentis saeculi decimi octavi, quae ubique omnes liberos, & aequales praedicabat, quamvis catenis constrictos, dicam expertis, & miserrimos teneret. Si vero Lectoribus vigilantium somnia adpareant relata, Romanos omnes oculatos testes invoco. Inpraesentiarum denique in Valetudinarii angulo viginti quinque Fratres tantum incolunt, Deo, & Ecclesiae inservientes, enixe precantes omnes Benefactores Ordinis pro Araecaeli decenti reparatione.

FINIS.

# LETTERA

*Dell' Illmo, e Rmo Sig. Monsig.*

# D. NICOLA BUSCHI

SEGRETARIO DELLA CONGREGAZIONE
DELLA DISCIPLINA REGOLARE

*Al Rmo Padre*

## FR. GIUSEPPE ALBEROLA

Presidente Capitolare de' Minori Osservanti
nel Paradiso di Viterbo.

Rmo Padre Sig. Padrone Colmo:

ASsistendo V. P. Reverendissima a codesto Capitolo Provinciale, proffitto di quest'occasione per rinnovarle le proteste del mio sincero rispetto, ed insieme le sollicitazioni, impulsi, e premure avute da autorevol Personaggio, acciò preghi, conforme faccio la P. V. Rma perchè la scelta, e destinazione del nuovo Ministro di questa Provincia venga fatta con tutte le regole prescritte dalle loro Costituzioni, e Statuti, ed insiememente cada in Soggetto, che sia dotato di quelle qualità di sapere, probità, zelo, e prudenza cotanto necessaria in ogni tempo, ma particolarmente adesso, onde con soavità, ma pari costanza, e fermezza possa, e sappia chiamare ne' respettivi Conventi, ne' Religiosi la esatta osservanza delle Sante Regole, il buon ordine, e la Disciplina Regolare in tutti li suoi rapporti, animandovi acciò li Religiosi non meno col proprio esempio, ma eziandio coll'esortazione, e col procurare che li Religiosi siano Osservanti, ed ancora discretamente provisti nelle loro indigenze. Quindi io

mi raccomando, quanto so, e posso all'efficacia, ed esperimentato zelo della P. V. Rma perchè succeda una tal elezione giusta li communi desideri; e sebbene non sia di mio special dipartimento l'oggetto delle Superiorità, che si fanno da' Regolari, m' interessa però, e mi è di somma consolazione, quando accadano tali elezioni in degni Soggetti forniti di zelo, e prudenza, giacchè per esperienza ho veduto, che ciò favorisce all' esatta Disciplina, e non si sentono, nè ricevano lagnanze, e ricorsi derivanti molte volte dalla non lodevole, e poco caritatevol condotta di sifatti Superiori.

Per mia parte, e per ragione di mio impiego, deggio avvertire e pregare la P. V. Rma, che insista e persuada il futuro eligendo Ministro Provinciale, di prestarsi con tutta l' attenzione, per rimettere in perfetto sistema li Conventi di Noviziato, e Proffessorio, mentre quante volte ciò non si effettuasse, ed a questi mancasse l' intero adempimento de' requisiti prescritti nei decreti di Clemente VIII., e della Sacra Congregazione della Disciplina, come pure quanto ordinossi nella Costituzione d' Innocenzo XI. potrebbe succedere la sospensione delle solite licenze di vestire Novizj, della quale non se ne può aver ragione, se non dopo seguita l'elezione del Sommo Pontefice, secondo le mie ricevute Instruzioni. Intanto colla solita distinta stima nella brama de' suoi graditissimi comandi passo a rassegnarmi.

Di V. P. Rma

Roma 5. Marzo 1800.

Dmo Obmo Serv.V.
N. Buschi Arc. d'Efeso.